



243
5
DISSERTATIO JURIS PUBLICI *Pa. 23. un. 1*

DE

DIFFERENTIIS *18*
MUNICIPIORUM ROM.

ET

URBIUM GERMAN.
MEDIATARUM,

QUAM,
AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

S. 114.
DN. FRIDERICI,

HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.

RECTORIS ACADEMIÆ MARBURGENSIS

MAGNIFICENTISSIMI,

SUB PRÆSIDIO

JOH. WILHELMI WALDSCHMIDT,

ACADEMIÆ PROCANCELLARII ET h. t. DECANI,

REGIMINIS PRINCIPALIS CONSILIARII.

AD DIEM DECEMBR. MDCCXXIX.

IN AUDITORIO PCTORUM

PUBLICO EXAMINI SUBMITTET

RESPONSURUS AUTOR,

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE

JOHANN. CONRAD. PEYER,

SCAPHUSA HELVETIUS.

Typis PHILIPPI *MARBURGI CATTORUM,*
CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr. & Bibliopol.

DEO,
PATRIÆ,
AVO,
PARENTIBUS,
&
PATRONIS,
SACRUM!





DISSERTATIO JURIS PUBLICI
 DE
 MUNICIPIORUM ROM.
 ET
 URBIUM GERM. MEDIAT.
 DIFFERENTIIS.

S. I.



Quotiescunque diversitatem Jurium,
 quibus Germani in Foris suis utun-
 tur, tum & proprias diversasque fin-
 gulum rationes paulò attentius
 mecum cogito; toties animum quo-
 que subit recordatio eorum, quæ
 B. SCHILTERVS in Epistola ad *Illustr.*
SECKENDORFIUM, Praxi Jur. Rom.

in *For. Germ.* præmissâ, eruditè non minus, quàm graviter
 differuit. Siffit ibidem, VIR de quâvis Jprud. parte opti-
 mè

mè promeritus, uno intuitu & in brevi quasi tabella, præcipuas causas & occasiones, quibus factum, ut prisca Teutonici Orbis majestas, non minus Legibus suis, quàm armis, à Rom. jugo atque impotentia secura sibi que sufficiens, ævo sequiori nihilominus Legibus exoticis in tantum succubuerit, ut scientia juris Patrii olim in Academiis ferè ignorata, hodie à paucissimis æstimata, plerisque incognita sit: Jus etiam Germanicum præ peregrino ferè forteat, pluraque illius capita apud Helvetios, Burgundiones, Sabaudos, &c. sub nomine Statutorum & consuetudinam hodieque supersint, quæ in Germania spissis nebulis ac propemodum tenebris dudum sepulta. Tum & illud quam maximè dolet, quòd ἀτακτοσύνη & confusio verarum decidendi rationum, ex ista Jurium varietate suborta, ad Jus & Statum Publicum sese protendat, quasi forma Reip. ad normam Legum exoticarum immutanda, & Germanica libertas cum inaniis Senatus Romani commutanda, aut planè imperium Justinianicum introducendum esset. Tandem verò, his omnibus probè perpensis, in hæc verba prorumpit: *Fons, ait, & origo hujus mali non alius, arbitror, potest ostendi, quàm defectus Prudentiæ Civilis, quæ sicuti in Romanorum Jureconsultis excellens extitit, ita in conjungendis Legibus patriis atque peregrinis quàm maximè requiritur. Quò ipsò quid gravius, quid verius dici potuisset, profectò non video. Sicut enim in Legibus ferendis ad Statum Reip. potissimum respiciendum, cum juxta prudens ARISTOTELIS monitum Polit. IV. cap. 1. Leges Rebuspublicis, non è contrario Republicæ Legibus aptandæ sint. Ita in applicatione Juris in peregrina Rep. nati, easdem Prudentiæ Civilis regulas vel maximè observandas esse, res ipsa loquitur,*

tur. Eam verò cautionem olim vulgò neglectam, & ex inveterato illo errore, ac si Germaniæ Regnum, veteris illius Rom. Imperii lacinia esset, & Statum Reip. Germ. & instituta pleraque, ad normam Juris Rom. unice judicata, in tanta quoque Juris Germanici, quâ premebatur, oblivione, de diversis utriusque rationibus ne quidem cogitatum esse, innumera exempla testantur.

§. II.

Ex eadem ἀπαδειξία complures conclusiones, quæ à Municipiis Rom. eorumque Jure, ad præsentem Germaniæ statum & instituta inferri solent, subnatas esse, rectè, ni fallor, existimo. Easdem, ex unâ licèt scaturigine subnatas, ad tria ferè capita revocare possumus. Quædam enim exinde propullularunt, quòd Leges & Ordinationes Regionum Germaniæ *Legem Municipalem* Jcti olim & dixere, & re vera esse credidère. (a) Aliæ
A 2 erro-

(a) Venia hïc danda vetustis Scriptoribus & peregrinis, quibus forma Imperii incognita, quando autem Jcti recentiorum temporum inscitè aded nugantur, id est, quod reprehendi omnino meretur. Eamque censuram MYLERS cum sui similibus incurrit, quando in *Tract. de Principibus & Stat. Imp. part. 2. cap. 39. §. 2.* scribere non dubitavit: *Ad Majestaticum Jus Territoriale circa negotia justitiæ refero Legum provincialium ac Statutorum condendi potestatem, Land-Recht und Landes-Ordnungen zu machen: quod Jus Municipale vocamus, arg. l. 2. C. de Off. P. Præt. l. omnes populi ff. de P. & J. l. 3. §. 4. ff. quod vi aut clam.* Quasi verò Legislatoria Potestas, Statibus Imperii, ut ipse agnoscit, vigore Superioritatis Territorialis competens, quæ summæ Potestatis æmula, eidemque analogæ, quæ-

erroneâ illâ opinione nituntur, ac si Civitatum Imperialium Superioritas & nexus cum majori Republica, è conditione & juribus *Municipiorum* apud Rom. æstimanda esset. (b) Reliquæ ex illâ lacunâ, non minus turbidâ, dimanârunt, quòd urbes Germaniæ mediatas, *Municipiis Rom.* usquequaque similes reputârunt, illarumque jura & privilegia, ad horum prærogativas exegerunt. Et de hoc posteriori istiusmodi conclusionum capite in præfens dicturi sumus. (c)

§. III.

que ab iisdem dudum olim exercita, & in I. P. W. denuò confirmata, ex LL. Rom. adstruenda esset, & argumenta à Magistratibus Rom. eorumque fiduciariâ potestate deprompta, excelso & sublimi fastigio, in quo Status Imperii collocati, summa cum injuriâ haud detraherent? Et, ne putes innoxium planè hunc errorem esse, aut in verbis, rei ipsius significatum involventibus, nimium facilis sis, expende porrò, quæ de interpretatione Statutorum MYLERS d. l. subjungit: deprehendens fanè, consecraria inde deducta, (quæ Alderanus MASCARDVS in communibus, ut vocat, conclusionibus ad Statutorum quorumvis interpretationem accommodatis, professâ operâ exposuit) æquè noxium & erroneum dogma involvere, ac si quis cum Diplomate illo Hennebergico de anno 1310. quod ex *Opusc. Meibom.* recenset HERTIVS de *Super. Territ.* §. 25. ejusmodi Leges & Ordinationes plebiscita vocatet.

(b) Perversi hujus dogmatis Autores perinde fecisse, ac Cervino capiti cervicem pillos equinam, jungere si velit, KLOEVIUS de *Contribut.* cap. 5. num. 45 probè jam observavit. Ipsas verò nœnias hæc, *Instrum. Pacis Westphal.* satis discussas, solidè confutârunt MEVIUS ad *Jus Lubec.* Lib. 1. tit. 2. KNIPSCHILD de *Civitat. Imperial.* lib. 2. cap. 1. §. 14. pluresque alii.

(c) In sensu angustiori, nec tamen admodum diverso, eodem vocabulo usus est DU FRENE, è *Gloss. vet.* notans: *Municipes* & *Mun.*

§. III.

Constat nimirum & in vulgari sermone hodiernum nihil usitatus est, quàm quòd Germaniæ Urbes Regionum Dominis subjectæ, die mittelbare Städte/ so den Reichs Fürsten und andern Herrschafften zugehören / & Municipales, & Provinciales vocentur, vid. SCHVVEDER Jur. Publ. cap. ult. §. fin. Eoque intuitu Balth. Cour. ZAIEN, de Urbium illarum jure & jurisdictione, Magistratuum & Civium officiis commentaturus, Tractatum suum Ichonographiam Municipalem inscribere non dubitavit. Quod si vero in originem inquiras, qui factum sit, ut nomen hoc in aliena Rep. natum, Germaniæ Urbibus impositum fuerit? LEHMANNVS Chron. Spirens. lib. 2. cap. 19. equidem memorat: Frey Burger seynd unterschiedlich / etliche seynd freygebohrne in Städten disseits am Rheinstrom / die mit dem Joch der Dienstbarkeit niemahls beladen worden / sondern ihre Freyheit / ehe sie unter der Römer Regierung kommen / von Anfang herbracht / und dabey so wohl bey der Römer / als auch hernach der Teutschen Fräntischen Könige Regierung ruhig verblieben / und daher hat man auch die Städte Municipia genant / daß darin keine andere dann freye Leute / als Burger gewohnet / &c. Ast prout hæc omnia Germaniam

A 3

Municipalis & Muniparis omnia dicuntur in eodem sensu: hoc enim nomine censentur Castellani in municipio nati & permanentes, & etiam milites stipendiarii, qui pro custodia municipii, municipii munia capiunt, & etiam originales, &c. Idem de WEMNERI Observatione sub verb. Municipal-Städte / judicium esto,

niam cis-Rhenanam, à Romanis in formulam Provincia olim redactam, unice spectant, Germaniam verò magnam haud attinent, quippe quæ vanè quidem triumphata, nunquam tamen victa, arma Rom. sensit, dominationem non æquè. Ita magis adæquatam & generalem ejus rei rationem reddidit MEVIUS *Consil. posthum. 93. num. 191.* quando ait: *quod Municipiorum nomen Civitatibus Provincialibus attributum fuit, hanc originem habet, quòd veteres Jcti, cum nihil Jurisprudentiæ, præterquam quòd Justiniani Juris volumina continent communia, & scirent, & ex iis omnia, etsi incongruè, imperitè & ineptè sæpius censere atque argumentari vellent, cum nihil aliud in iis reperirent, Civitatibus aliqua ratione assimilandum, ab istis ad has priores argumenta ducere, postea & nomen applicare ausi sunt &c.*

§. IV.

Videri equidem posset, omnes eos, qui contra hanc nominis impositionem quid moveant, tantò magis frustra esse, & nodum in scirpo quærere, cum in aliis quoque Regnis & Rebuspublicis, Urbes, Metropoli, illisque, quæ caput Populi, contradistinctæ, Municipales vocentur: prout de Anglia, Thom. SMITH, *Descript. Reip. Anglic. lib. 1. cap. 22.* de Gallia LIMNEUS in *Notit. Regni Francici passim*, testantur. De Helvetia verò Francisc. GUILLMANNUM audire juvabit, qui *de rebus Helvet. lib. 2. cap. 17.* ita: *Præter tredecim Civitates, quarum totius ferme antiquæ Helvetiæ suprema potestas, multa sunt oppida, quæ suam rempublicam, suos magistratus habent, adeoque præter majestatem, ut antiqui loquebantur, Civitatum,*

& Summum Imperium, nihil illarum agnoscunt: quæ
 quidem Oppida rectè Municipia vocari, antiquo vocabulo
 & Romano arbitror. - Talia sunt in Helvetia, Aquæ,
 Brengarte, Mellinga, Rupertivilla, Damasia, Vitodu-
 rum, Tobinium, Aravia, Surbsea, Villisovium, Pontes,
 Sempachium, Sarunegaunum, Statio Rhetorum, Pater-
 niacum, Lausanna, alia nonnulla, quæ suam, ut diximus,
 omnem habent in potestate rempublicam, suosque Magistra-
 tus, Leges & consuetudines, instituta, quamvis non eâ-
 dem prorsus ratione. Nam sunt inter illa quedam, quæ
 absolutam habent suos Magistratus legendi, confirmandi-
 que auctoritatem, alia legendi quidem, sed confirmatio-
 Civitatum est, non omnium, sed earum, in quarum do-
 minio sita &c. (d)

§. V.

Et sanè, si de solo nomine quaestio foret, omnis eo-
 rum labor, qui circa appellationem stylo publico dudum
 receptam, vel subsisterent, studio vanesceret inani: præ-
 fertim, cum ipse Ulpianus in *l. 1. §. 1. ff. ad Municip.* profi-
 teatur, nunc abusive municipes dici posse, suæ cujusque ci-
 vitatis cives. Quandoquidem verò, ut rectè vidit Me-
 vius, qui nomen Municipiorum his Urbibus imposuere,
 iisdem Jura Municipalia jam antè attribuerunt, sicque
 in causa fuerunt, ut rotunda quadratis improvidè misce-
 rentur: Ideò confusionem illam, ex perperam facta appli-
 catione

(d) Oppidorum istorum nomina hodierna & conditionem, in quâ
 posita, pluribus exposuit *Celeb. Dn. LEO*, Vir de Historia & Jure
 Patrio optimè promeritus in *Simlero suo illustrato*, & in *Specim.*
Jurisprud. Helvet.

catione Jurium ad Statum Germaniæ haud quadrantium subortam, Viri Celeberrimi, RHETIUS *Diff. de Stat. Germ. circa subditos cap. 4. num. 61.* WERLHOF. *Juris quo Germ. in foro utuntur Specim. 2. §. 16. not. R.* quin & ipse B. DE LYNCKER. *in Analect. ad Struvii S. J. C. lib. 50. tit. 1. §. 26.* ibi: utique à prisca Municipum conditione & juribus Municipiorum, ad civitates Provinciales modernas indistinctè argumentari non licet; ex quo judicium quoque capiendum est, de inscriptione, quâ Zahnius usus est in *Ichno-graph. Municip. &c.* obiter & velut in transitu non solum notarunt: sed etiam prælaudati ZAHNII Filius, *Theodorus Ernestus*, eodem errore animadvertò, repetitâ istius Tractatus editione, sub titulo *Politie Municipalis*, nonnulla emendavit, quin & integris capitibus passim insertis, supplevit: in eodem tamen multas etiamnum superesse conclusiones à Municipiis Romanis unice petitas, & statui Urbium Germ. haud accommodas, ab aliis prius observatum est.

§. VI.

Quando autem, Specimen Academicum editurus, lemma Dissertationi præscriptum pro argumento mihi selegi: animus equidem non est, angustia etiam pagellarum haud permitteret, vel omnia, vel pleraque saltem eorum huc conducere, quæ, post *Car. SIGONIUM, Onuphr. PANVINIUM, Marc. VELSERUM, Guid. PANCIROILLUM, Wolffg. LAZIUM, Job. FOY-VAILLANT* splendido Opere *de Numismat. æreis, Imp. Augustarum, & Cesarum, in Coloniais, Municipiis, & Urbibus Jure Latii donatis, ex omni modulo percussis*: ejusve Hyperaspista *Joan. HARDVINUS* in *Antirrhethico de Numis antiquis*

antiquis *Coloniarum & Municipiorum*: in primis verò *Ezechiel SPANHEMIUS* in aeterno Opere, *Orbis Romanus* inscripto, ut & *Celeb. DN. OTTO* in erudito Libro de *Ædilibus Coloniarum & Municipiorum*, pluresque alii ex omni antiquitate summò studiò eruerunt. Non vacat etiã de *Urbibus Germ. Mediatis* professã operã hic differere, Quin potius destinatã hãc ratione componere allaborabo, ut generalioribus nonnullis de origine *Municipiorum* eorumque differentiã à *Coloniis*, velut per saturam præmissis, partes illas, quæ in Republicã, verè tali, quàm maximè aliàs eminent, & quarum imaginem, vel potius umbram, in *Municipiis Rom.* animadvertere licet, ad normam LL. Rom. potissimùm expendam, utrobique verò quantoperè *Urbes Germ. mediatæ* ab iisdem differant, subjungam. Quo ipso tantò magis patebit, opinor, argumenta, tantùm non omnia, ab illis ad has formari solita, veluti à diversis ad separata, exigui ponderis esse, comparationem ipsam verò *Urbibus mediatis* plus tribuere, quàm nexus subjectionis, quò Regionum Dominis immediatè devinctæ, iisdem permittit. Tum & illud vicissim apparebit, hypothesin istam *Urbibus* ipsis non rarò detrimentosam esse, si quidem statum *Municipiorum* sequioris ævi, sub Imp. præsertim, intueamur, ubi imagine libertatis & larvã Reipublicæ paulatim sublatis, sub Imperio verè Monarchico satis dura ipsorum fuit conditio: ex altera verò parte mite Imperium, quo *Urbes* illæ in Germaniã fruuntur, tum & nonnullarum privilegia, planè eximia, consideremus. Et hoc posteriori intuitu, *MEVIUS d. l. num. 191.* in hæc verba pergit: *Municipiorum nomen ab iis postea arreptum, qui Civitatum emulsi, invidi & adversarii, statum atque libertatem eorum*

B

omni

omni ope atque studio deprimere moliti sunt. Quibus ut valde profecit id argumentandi genus, Actorum quasi auctoritate vallatum, nec ullo modo magis illas labefactare voluerunt, quam si eò vilitatis redigerentur; ità cum suis patronis semper ipsis in ore fuit, esse tantum Municipia: quod, ex imperitià eorum, qui affixi Legibus Romanis in alia longè Imperii forma & subditorum libertate majore, ignorantiam status publici prodiderunt, ortum, injurià fit, quando qui Republicæ partem faciunt, incongruo & in-scito argumento in contentum & oppressionem Civitatum nimum abutuntur, &c. Annuat conatibus nostris
DEUS T. O. M. faveatque Lector!

§. VII.

Municipes & Municipia (ordior cum GELLIO Noct. Attic. Lib. 16. cap. 13.) verba sunt dictu facilia & ubivis obvia, ac neutiquam reperies qui dicit, quin planè scire se putet, quid dicit: sed profecò aliud est, aliud dicitur. Ut planè mirandum non sit, SIGONIUM quoque de Antiquo Jure Italiæ lib. 2. cap. 6. ultrò professum esse, nobilem illam quidem, & cognitione dignissimam questionem, verum tam multis tenebris vel vetustatis, vel inscitie involutam esse, ut ipse vix vetera ejus indagandæ vestigia, in tanta sive rerum, sive temporum, sive monumentorum quasi caligine percipere potuerit. Adeò scilicet, in vetustis præsertim, omnis in Jure definitio periculosa est. Idem tamen GELLIUS rem omnem paucis hisce verbis accuratè expressit. Municipes, ait, sunt Cives Rom. in Municipiis Legibus suis utentes, muneris tantum cum P. R. participes, nullis aliis necessitatibus, neque

neque ullâ lege, nisi in quam populus eorum fundus factus
 esset. Cum quo coincidit ULPANI illud in l. 1. §. 1. ff. ad
 Municip. propriè Municipipes appellantur muneris partici-
 pes, recepti in Civitate, ut munera nobiscum facerent.
 Uterque verò nil aliud indigitat, quàm quòd Urbes illæ
 Municipia dicta fuerint, quæ à Pop. Rom. jus Civitatis
 obtinuerant, & in munerum seu officiorum civilium so-
 cietatem ità recepta, ut de cætero imaginem Reipubli-
 cæ, à Romanâ separata, quodammodo referrent. Insti-
 tuto huic Romulum jam tum prælusisse, de quo memo-
 riæ proditum, quòd complures populos eòdem die &
 hostes & cives habuerit: Senaturn verò Populumque
 Rom. easdem prudentiæ regulas deinceps secutum esse, &
 Urbibus bello victis aut spontè sub Imperium conceden-
 tibus, sub specioso libertatis nomine Jus Civitatis con-
 cessisse, primitus quidem in Italiâ tantum, ac Caritum
 exemplo, sinè suffragii jure, mox & cum eodem, etiam
 in Provinciis; idque non alium in finem, quàm ut honore
 ac privilegiis Civium Rom. planè eximitis, macerati, eoque
 tantò arctioribus vinculis constricti, præsidium & firma-
 mentum Reip. R. adversus hostiles impetus essent certissi-
 mum. Hæc, inquam, & plura alia ad originem atque
 progressum Municipiorum pertinentia supra laudati Au-
 tores professâ operâ exposuerunt. Et quando FESTUS
 (quem sub Christianis Imp. vixisse, ut credamus, par
 esse, FABRITIUS *Biblioth. Lat. tom. 2. pag. 764.* affirmat)
 tria Municipiorum genera, gradibus invicem distincta,
 recenset, locum hunc, qui crucem aliàs figit Antiquarius,
 & SPANHEMIUS, & solidè doctus HEINECCIUS *Antiquit.*
Rom. in append. lib. 1. §. 114. ab omni ferè difficultate
 liberârunt.

S. VIII.

Coloniarum, & quomodo illæ à *Municipiis* differant, mentio aliqua tantò magis hic injicienda, cum non desint, qui & ab illis ad *Urbes Germaniæ* argumentari haud dubitârunt. Erat autem Colonia, ut vulgò notum, coadunata ejusmodi hominum multitudo, quæ ex Urbe, ad certum aliquem locum, primariò ejus colendi cau^a, (e) postea & alium in finem publicâ autoritate solenniter deducta. Instituti ipsius conditor itidem Romulus fuit, ejusque seri nepotes idem illud imitati sunt, ut tot velut Castis ac Propugnalis noviter acquisitas provincias intra limites obsequii & fidei retinerent, eademque hostibus pro firmamento limitum opponerent; ipsa quoque Urbs à sentinâ & nimia plebis multitudine, Æolis in primis ac furoris omnis origine, ne exemplo suo vel contagione reliquos ad res novas molendas seducerent, tantò magis purgaretur: tum & veteranis (vid. l. 1. ff. de evict.) certissima vulnerum ac periculorum, quæ subierant, præmia assignarent. Has ipsas verò, alias *Latinas*, alias *Croviium Rom.* fuisse, *Italicarum* tertium genus deinceps accessisse, sæpius laudatî *Antiquit. Rom.* scrutatores itidem nobis confirmant. Discrimen ipsum à *Municipiis*, origo sic satis indicat, cum *Coloniæ* ex Urbe deductæ, illa vero extrinsecus in *Jus Civitatis* assumpta fuerint (f). Ipse quoque utrorumque status

(e) Id quod cum nominis origine, & numi *Colonicæ* indicant, in quibus bos, aut colonus boves aratro junctos regens, aut vicinus dus saccum humeris gestans apud *Vaillantium* & alios conspiciuntur. Conf. *DN. OTTO d. l. cap. 1. §. 1.*

(f) Conf. tamen *Wolffg. LAZIUS Antiquit. Rom. p. m. 397.* ubi ex

status omnisque compages, quantopere, ab initio saltè, diversa fuerint, abundè testantur. Coloniae sacra quidem privata, quæ ante habuerant, deserebant, publica autem, ipsius Pop. Rom. unà cum sacrorum Curatoribus (quicquid SIGONIUS in contrarium dixerit) ex Urbe migrantes, secum ducebant. Nec minus & Legibus iisdem cum Urbe matre, porrò utebantur, novæ quoque pro re nata ipsis non rarò præscribebantur, quæ singula sicut à Dd. ad quos supra provocavimus, extra omnem controversiam collocata; ità in *Municipiis*, ad minimum si initia spectes, planè aliter se habuisse, ex infra dicendis apparebit. Ast enimvero, quæ ingeniorum humanorum, non uno voto viventium, semper fuit varietas, & illud effecit, ut nec exempla defint *Municipiorum*, quæ posthabito suffragii & munerum eorundem cum P. R. honore, posthabitâ Autonomiâ suâ, *Colontiarum* jus affectaverint, inque illud recepti fuerint: nec Coloniae forte suâ adeò contentæ fuerunt, (g) ut non aliquando ad speciosam *Municipiorum* libertatem & prærogativas adspiraverint, parum cogitantes, se faciem mittentium, eoque majestatem P. R. quodammodo referre, ejusve simulacrum esse:

B 3

utro-

stationibus militum Rom. *Municipia* nonnulla suborta esse, existimat, eoque *Badam* Helyeticorum refert.

- (g) Ad diamus HARDUINUM in *Antirrhetico* pag. 52. Error, ait, vulgi est existimantis meliøre conditione esse colonias, quàm municipia: de quo Hadriannus in *Orat. quam de Italicensibus*, unde ipse ortus fuit, in *Senatu* habuit, peritissimè disseruit, mirarique se ostendit, quod & ipsi Italicenses, & quædam alia *Municipia antiqua*, cum suis legibus & moribus uti possent, in jus *Colontiarum* mutare gestiverint, hoc est, cum libera essent municipia,

utrorumque exempla, passim obvia, hinc allegare, nunc non attinet. Quando autem GELLIIUS (h): *d. l. ita pergit: quotus ferè nostrum est, qui quum ex Colonia, ex Pop. Rom. sit, non se Municipem esse, & populares suos Municipes esse dicat: quod est à ratione & à veritate longè aversum, sic adeò & Municipia quid, & quo jure sint, quantumque à Colonia differant, ignoramus. Hæc omnia eò quidem haud pertinent, ac si GELLIO vel aliis sui temporis Eruditis differentia illa, qualis olim se habuit, tota quanta incognita fuerit, sed confusionem nominum, usu populari, cum ipsa status mutatione dudum inductam esse, saltèm indigitant. Sanè multò seriùs adhuc PAPINIANUS in l. 17. §. 10. ad Municip. municipem à colono ULPIANUS (i) quoque in l. 27. §. 1. d. l. colonias & municipia unà cum PAULO lib. 4. Sent. tit. 6. §. 2. distinguit. Illud verò quilibet nobiscum ultrò agnoscat, ex quo ANTONINUS CARACALLA notissimà Constitutione, in l. 17. ff. de statu hominum, omnes in Orbe Rom. viventes, jure*

Civi-

nicipia, colonia esse, amissa libertate maluerint. At alii cautiore, libertatem suam esse salvam & integram maluere, municipii nomine & jure vindicato, colonia titulo, & onere depositi. Prænestinos autem refert idem Hadrianus, teste Gellio, maximo opere à Tiberio petisse, ut ex Colonia in Municipii statum redigerentur.

(h) Quod discrimen inter Colonias & Municipia, Gellium, cum primus illud explicare ausus sit, non satis intellexisse, immeritò inensat DODWELLUS Prælect. Camden. ad Spart. Hadrian. præl. 3. l. 3. pag. 194.

(i) Nisi tamen in d. l. 27. sub nomine Colonia, prædium rusticum cum VELERO intelligere malis, quod admodum probabilè reddidit Dn. OTTO d. c. 1. §. 4.

Civitatis Rom. profusâ liberalitate donavit, & genera Municipiorum inter se, & cum Coloniis confusa fuisse, quò & ULPIANUS *d. l. 1. ad Mur.* haud dubiè respicit, quando ait: *sed nunc, vulgato Civitatis Romanæ honore, abusive Municipipes dicimus, suæ cujusque civitatis cives.*

§. IX.

Utcunque verò *Municipia*, (*k*) ceu supra vidimus, speciem aliquam Reipublicæ, à Romanâ diversæ præ se tulerint, quin & *Respublicæ* dicta, eorumque Curatores, Curatores Reipublicæ audiverint, vid. *l. 3. §. 1. & per. ff. de administr. rer. ad Civit. pertin. l. 38. §. 1. ff. de reb. aut. jud. possid. l. ult. cod. junct. l. 8. ff. qui pot. in pign. l. 13. §. 1. de public. l. 140. & 211. de Reg. Jur.* (ibi-que *Jacob. GOTHOFREDUS in Comment.*) *tot. tit. C. de Jure Reip. l. 1. & 2. de debit. Civit. l. 4. C. ex quibus causis maj.* &c. Reverâ tamen hæc omnia in meris simulacris substituisse, & *Municipia* qualiacunque à *Republicâ* & *Civitate*, in pleno significandi genere, quò integrum Civilis societatis corpus denotant, quod superiorem agnoscit neminem, æquè remota fuisse, ac *Urbes Germ. mediatæ* hodie sunt; imò satis addicto nexu Rom. Imp. potius subdita fuisse, quilibet ultrò agnoscit. Hinc est, quòd ULPIANUS in *l. 26. §. 9. ff. ex quib. caus. major. civitates* (in sensu vulgari) & *Reipublicam* sibi invicem opponit,

(*k*) Quantum illorum numerus fuerit, vel sola numismata apud VAILLANTIUM indicant. Quot Coloniz in diversis Rom. Imp. Provinciis extiterint, calculum subduxit LIRSIUS *de magnit. Rom. lib. 1. cap. 6.*

opponit, sub illis *Municipia*, sub hac, in eminentiori significatu, ipsam Romanam Rempublicam indigitans. Et GAIUS in *l. 16. ff. de V. S.* civitates illas privatorum loco haberi (l), disertè pronunciat. Unde (*Papiniani* etate adhuc) ob pecuniam civitati subtractam, furti quidem, non autem de peculatu actio data *l. 81. ff. de furtis (m)* conductor vectigalium civitatis, à munere tutelæ non excusatur *l. 15. §. 10. ff. de excus. tut.* adversus civitatem perinde, ac privatum quemlibet Scto Macedoniano locus est, *l. 15. ad Set. Maced.* Edictum non quidem adversus venditiones Fiscales, attamen si civitas rem vendiderit, locum invenit, *l. 1. §. 3. 4. ad edil. edit.* li-
tes

(l) Utcunque enim non per omnia ad privatorum sortem redactæ videantur, sed in quibusdam articulis plus ipsis concessum sit, quam privatis aliis, dum v. gr. civitatibus etiam ex nudo pacto usuræ debentur, *l. 30. ff. de usur.* qui pecuniam administratori civitatis credit, versionem in rem probare tenetur, *l. 27. de R.C.* ex nuda pollicitatione civitati obligatio & actio acquiritur *l. 1. de pollicitat.* actor civitatis non cavet de rato, *l. 9. rem. rat. haberi*, res civitatum usibus publicis destinatæ, usufructum non recipiunt, *l. 9. de usufruct. l. 2. de via publ.* &c. hæc omnia tamen leviora esse, quam ut sorte privatorum *Municipia* exempterint, quis non videt? ut ut Gajus *d. l. 16.* eorum intuitu scripserit, in compluribus saltèm, causis publicam appellationem ad P. R. respicere.

(m) Quanquam sub Imp. deterior adhuc, magisque adstricta *Municipiorum* conditio reddita fuerit, *Hadrianus* tamen Imp. in *l. 4. §. ult. ad L. Jul. peculatus* ad civitatum pecunias, peculatus accusationem deinceps produxit. Quin & civitatis causa absenti, perinde ac si Reip. causa abesset, Constitutiones Principum subvenerunt, in *l. 1. C. junct. l. 2. ff. ex quib. caus. maj.* Sed quo intuitu hæc talia constituta sint, res ipsa loquitur,

tes civitatum, perinde ac privatorum, intra triennium finien-
da, l. 13. §. 1. C. de Jud. qui pro Civitate legatione fun-
gitur, secundum ULPIANUM in d. l. 20. §. ult. ex quibus
caus. maj. Reip. causa non abest, &c. Quam modica
etiam, quamque restricta Magistratuum Municipalium
jurisdictio fuerit, ex infra dicendis apparebit.

§. X.

Consequens est, ut videamus quantopere *Urbes Germ.*
mediate, intuitu Status & Regiminis Publici, cui subje-
cta, à *Municipiis* istis differant. Et quidem, ut ea nunc
omittamus qua originem Urbium (2) in Germania atti-
nent, de causis quoque & occasionibus, (o) quibus per-
spiramenta temporum *STATUS IMPERII*, ad eminentem
illam potestatem, quã in Territoriis sibi subjectis ho-
die gaudent; seorsim quoque de origine & progressu Ci-
vitatum Imperialium (p) hic non dicamus. Instituto no-
stro sufficere poterit in *RECESSU IMP. de an. 1545. §. 39.*
Die Frey und Reichs-Städte/ und die andere Städte so
den Fürsten oder andern Herrschafften zugehören/ sibi in-
vicem contradistingui; add. *RECESS. IMP. de anno 1548.*
C
§. 47.

- (n) Quam CONRING Exerc. de Urbib. Germ. luculenter exposuit.
(o) Eisdem B. HERTIUS Dissert. de orig. & progressu special. Imp. R.
G. Rerump. per varias temporum periodos accurate recensuit.
(p) De divisione Urbium in *Regales & Praefectorias*, quae sub Or-
tonibus jam tum deprehenditur, vid. HERTIUS de Special. Imp.
Rerump. Sect. 1. §. 7. junct. DN. KOPPEN de insigni differ. Comi-
tum Imp. & Nobil. immed. pag. 87. ubi Comites quoque ejus-
modi praefectorias Urbes in sua ditione jam tum habuisse, con-
tra dissentientes adduxit. Quae verò originem & progressum
Civitatum Imperial. atinent, in compendio exhibet DN. SCHWE-
DAR de pari nexu Civit. Imp. Sect. 1.

& de anno 1566. §. 50. Atque adeò omnes illas Urbes mediatas esse, quæ Regionum Dominis immediatè subiectæ, ac jure sessionis & suffragii in Comitibus destituuntur. Utcunque enim earum nonnullæ amplissimis privilegiis, & juribus à tempore immemoriali quæsitis, præditæ, aliquibus etiam hæc talia in *Instrum. P. W. Artic. 10. §. 16. Artic. 11. §. 4. & 8.* nominatim confirmata sint: (q) dudum tamen explosa est illorum opinio, qui cum LEHMANNO *Chror. Spir. lib. 4. cap. 4.* hybridas, seu mixtas, ut vocant *Civitates* inde efformare conati sunt, quorum rationibus ex assè satisfecit HERTIUS *de Special. Imp. R. G. Rebusp. Sect. 1. §. 7.*

§. XI.

Ista verò, quam diximus, Status Publici ac formæ Regiminis diversitas longè maxima, operosa probatione haud indiget. Quod si enim ex una parte majorem Imperiù Rom. Germ. Rempublicam intueamur, sub quâ Urbes illæ omninò omnes *empores* continentur, eandem veteris illius Rom. Imperii (cui Municipia ista immediatè suberant) laciniam aut continuationem non esse, à CONRIN-
SIO & aliis adeò liquidè adstructum est, ut si Germanus de patria sua tam abjectè sentiat, eamque vano conatu formulis provinciæ Rom. adscribere etiamnum haud dubitet, VOSSII illò mox ablegandus sit, quòd dogma fo-
veat

(q) Que postea contigère, ex Landorpio memorat OBRECHT ad *Instrum. P. d. l. sed Auctor Medicar. ad d. §. 5.* addit: nullum se dubitare, quin ista omnia dudum composita sint, Urbesque sub Regimine & protectione Regia, sua nunc forte contentæ longè felicius & prudentius agant, quàm cum ante vanà libertatis nescire se cuius, ostentatione, dissiles sibi lites odia & incommoditates nullo fructu accersiverint.

veat, tam literato seculo planè indignum. Ex altera verò parte, si ipsam Imperii formam paulò penitius consideremus, ingens sanè diversitas à statu & forma veteris Rom. Imperii, tum & illud ultrò apparebit, B. LUDOLPH. HUGONEM de statu Reg. Germ. cap. 2. §. 8. haud frustra affirmasse, Imp. Germ. formam in omni antiquitate sui similem, & nomen in Prudentia Civili non invenire. Singuli enim illius Ordines, ut graphicè rem omnem descripsit HERTIUS Elem. Prud. Civ. part. 1. Sect. 12, §. 9. suam quoddam πολιτεία, suas res, iura, territoria, fines, inveteratà possessione tenent: leges edicunt, territoria sua arcibus muniunt, incunt societates, conscribunt leguntque militem, creant abdicantque Magistratus, & similia faciunt tantùm non omnimodo liberà potestate. Est tamen suus quoque communi Reip. sive universo Corpori bonus atque auctoritas, in quo, secundùm Imperatorem, summà non minus potestate, quàm dignitate & loco eminentem, Ordines velut in fastigio coeunt, & qui singuli partibus, universæ Nationi conjunctim intra certum modum præsidet. Sicut autem forma Civitatis vera & propria est norma potestatis Imperantium, & validitatis actuum, quos gerunt atque conficiunt, vid. MEVIUS part. 5. Dec. 383. num 1. Ità quilibet facilè agnoscet, omnia argumenta à Municipiis ad Urbes Germ. formari solita, quatenus formæ Reip. adversantur, ἀλλοτρία planè, & nullius ponderis esse.

§. XII.

Cùm autem, secundum principia Prudentiæ Civili, subjectum primarium cujusque Reip. sint Cives, hi autem

tem vel fiant vel nascantur: ideò, ad *Municipia* redeuntes, de *Municipibus* ut dicamus, ordinis ratio nunc exposcit, Eorum definitionem ex *l. 1. §. 1. ad Municip.* supra adduximus. Modos verò jus civitatis in *Municipiis* obtinendi quod attinet, *ULPIANUS*, in *d. l. 1. pr.* eorum tres memorat: *Municipem*, ait, *nativitatem facere, aut missionem, aut adoptionem*: quo ipso tamen & *allegationem* non excludi, vel solà *l. 7. C. de incol.* edocemur. Quoad *nativitatem*, notum vulgò est, liberos à *municipibus* ex justis nuptiis procreatos, patris originem secutos fuisse, *d. l. 1. §. 1.* etiamsi in alio loco nati essent, *l. 3. d. 2.* nisi quòd civitatibus quibusdam per modum privilegii tributum fuerit, ut jus *municipii* à matre in liberos transferret, nominatim *Ponticis, Iliensibus, Delphis*, *d. l. 1. §. 2.* (*) *Spurii* verò & alii illegitimi, matris originem, cum *aliam non haberent*, *d. l. 1. §. 2.* sequebantur. Nec minus & illud abundè notum, *originalem* hanc *patriam*, prout in *l. 22 §. 4 d. t.* vocatur, adeò immutabilem fuisse, ut domicilio actuali in alium locum translato, *municipes* nihilo-

(*) Cur hæc privilegia ad replendas *municipum* numero civitates excogitata, tribus istis Civitatibus seorsim concessa fuerint, specialibus rationibus adductis, expendit *Jacob. GOTH. FRED.* in *Comment. ad l. 51. Cod. Theod. de Decur.* Quando autem *Dd.* nonnulli, & cum illis *Celeb. HEINECCIUS* in *Comp. ff. tit. ad Munic.* civitatibus istis in quibus matera origo, *Municipii* jus conferebat, *Antiochiam*, quoque accensent, eidem doctissimo *Cod. Theod.* interpreti potius subscribimus, cum solidis rationibus ostenderit, in *d. l. 51. C. Theod. §. 1. 22. Cod. de Decur.* planè aliud privilegium contineri, cum hoc posterius ad replendas nominatim *Curias* concessum, & de uno tantum parente *Civiali*, matre inquam, prius verò de utroque parente *municipe*, quod & tunc matris origo prævalere debeat, loquatur.

hilominus in loco originis ad suscipienda munera & honores obstricti manserint, tum & forum originis insuper retinuerint *l. 1. & 5. C. d. t. l. 1. 6. C. de incol. l. 29 ff. ad Municip. conf. STRAUCHIUS Exerc. Justin. 21. §. 15.* Quod per *manumissionem & adoptionem* jus Municipii obtentum fuerit, rationem habet ex primis Juris nostri principiiis, cuique notam. Præterea & *allectione* s. assumptione jus civitatis in municipiis propagatum fuisse, tantò minus dubitari poterit, quòd liberà voluntate, ipso etiam factò, puta domicilii institutione, declaratà, *vid. l. 29 ff. d. t. & prece & pretio (s) beneficium* hocce obtineri potuerit, *Conf. SPANHEM. d. Tr. Exerc. 1. cap. 17. (t)* De cætero à Municipibus *incolas* probè secernendos esse. & *rubr. & l. 1. d. t. junct. l. 7. C. de incolis* loquuntur, ipsas verò utrorumque differentias *SPANHEM. d. l. cap. 13.* pluribus expendit.

C 3

§. XIII.

(t) Sequiori ævo præsertim, cum honor civitatis Rom. jam vulgaris esset, de quo *Dio lib. 60. p. m. 676.* Jus illud magnà quondam pecuniâ venditum, adèò vile tunc factum, ut vulgò *jacetum* fuerit: etiamsi quis alicui vasa vitrea confracta dedisset, *Civem Rom. sic fieri posse.*

(t) Ex supra dictis simul constat, quòd quamvis aliàs Romanus, plus quam unius Civitatis civis esse non potuerit, id ipsum tamen non obfuisse, quò minus in Municipio, ex quò ortus, rum & Romæ Magistratus gereret, & sic duas quasi patrias haberet, unam *Φύσει*, seu *γένησι*, alteram *θέσει*: cum revera non diversarum Urbium, sed unius ejusdemque civis esset, & naturalem patriam, Roma includeret. Uade etiam est, quòd si cui patriâ interdicitum, & Roma exulare cogeretur *l. 7. §. 15. ff. de interd. & releg.* Pariter nec quidquam impedimento fuit, quo minus quis pluribus Municipiis adscribi potuerit *SPANHEM. d. l. Ex. 1. cap. 6.*

§. XIII.

Urbium Germaniæ mediatarum cives quod atinet, quos *municipes* dici, noto notius est, eorum *ius civitatis*, das Bürger-Recht / potius *ius civilitatis* dicendum esse, (ut sic à Jure Majestatico vicum vel pagum jure Civitatis donandi, das Stadt Recht zu geben / secernatur) ex modis verò supra enumeratis, & nativitatem & allectionem *ius civilitatis* apud Germanos hodiernum conferre, ZAHN *lib. 3. cap. 1.* equidem existimat. At enim verò quoad nativitatem, multò verius BEYER *d. 1. ff. posit. 2.* THOMASIVS *in not. ibid.* aliique asserunt, *cives apud Germanos non nasci, es seye niemand von deswegen Bürger / weil er eines Bürgers Sohn ist.* Utcunque enim civis filius actu primò, eoque remotò, das Bürger-Recht habere dicatur, & pro receptione minus solvat, quàm extraneus: re vera tamen civis non est, priusquàm in numerum receptus, & sacramento obstrictus sit. Conf. tamen SCHILTER *Exerc. ad ff. ult. §. 19.* ubi de viduâ, forum mariti secutâ, eoque mortuo ad patrios lares redeunte, an jure civitatis adhuc gaudeat. Pariter & illud extra controversiam positum est, quàm primum quis aliud domicilium sibi constituit, forum originis ita extingui, ut nec commodis nec incommodis illius amplius fruatur, (nisi fortè jus indigenatus eisdem quæsitum sit) STRYCK. *Usus modern. tit. de Jud. §. 17.* Ucut enim quamdiu de translatione domicilii haud constat, eam affirmans probare teneatur, id tamen non ab immutabilitate fori originis, sed inde est, quòd *in dubio mutatio non præsumatur*, cum mutatio omnis factum præ-

præsupponat, ideoque ab allegante probanda sit, l. 22.
ff. & l. 16. C. de probat. cap. 9. X. de præsumt. Conf. ME-
VIUS part. 2. Dec. 71, part. 5. Dec. 163, 164, 165, 166.

§. XIV.

Quanquam verò, ceu supra vidimus, *Municipia*, non nisi simulacrum Reip. referrent, revera privatorum loco haberentur, atque adeò Jura summarum potestatum ipsis non magis conveniant, quàm privatis aliis. Imago tamen libertatis, iisdem relicta, tum & ambitio quâ Urbi, Gentium illarum dominâ, indies magis assimilari gestiebant, id effecit, ut in administratione Municipiorum, eas partes observare liceat, quæ speciem jurium majesticorum, unâ cum nomine Reipublicæ, quodammodo referant. Hæc inter *Sacrorum jus*, primum locum meretur. Quanquam enim Gentiles quoque haud penitus ignoraverint, Jus circa sacra naturaliter sub ambitu summæ potestatis contineri, indeque Aristoteles jam tum τὴν περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλειαν Imperanti vindicet: Romani quoque, probè gnari quantam vim Religio in animis hominum habeat, sacrorum curam, inter Civiles alias dignissimam semper habuerint: Imp. verò rerum potiti, ipsum Pontificatum, velut præcipuum stabilendi Imperii fulcrum sibi vindicarint, ut sic, dicente TA-
CITO *annal. lib. 3. cap. 53. Deum munere summus Pontifex, etiam summus inter homines esset. Nihil tamen fecit Municipiis ut FESTUS memorat, sacra sua reliquerunt quæ ab initio habuerant, ante acceptam Rom. Civitatem; quæ observare eos voluerunt Pontifices, & eo more facere, quo adjuissent antiquitus.* Indeque in marmo-
ribus

ribus vetustis *sacrorum municipalium* non infrequens mentio & apud GRUTERUM in *Inscript.* nomen *Flaminis Sacrorum Publicorum Municipalium* occurrit, vid. DN. OTTO d. l. cap. 1. §. 3.

§. XV.

Urbium Germaniæ mediatarum diversissimam in eo conditionem esse, multis ut moneamus, tantò minus necessarium credimus, cum vulgò notum sit, per *Instrum. P. W.* Regionum Dominis Evangelicæ Religioni addictis, Jus omne circa Sacra & affirmatum & confirmatum esse: in Regionibus verò, quæ Rom. Catholicæ Religionis instituta sequuntur, Jurisdictionem Ecclesiasticam, quatenus moribus aut pactis restricta non est, Episcopis relinqui. De Jure verò Reformandi, & limitibus in *Instrum. P.* eidem positis, ut quidquam addamus, instituti ratio nec exigit, nec angustia pagellarum permittit. Nemo etiam eorum, qui urbes istas *Municipiorum* nomine & jure alias censuerunt, argumentò à Sacris Gentilium petitò, libertatem aliquam in Sacris, contra Regionis Dominum iisdem asserere unquam fuit ausus. Illud in transitu adhuc addimus, Civitates Principi Imperii subditas, ab omni Jurisdictionis Ecclesiasticæ commercio ad eò exclusas non esse, ut per legitimos modos quidquam illius acquirere nequeant, MEVIUM *part. 2. Dec. 305.* jam tum affirmasse: quæstionem ipsam verò, utrum à Civitatibus provincialibus jurisdictio ecclesiastica, seu jus Consistorii, subordinatè saltèm, mediante præscriptione immemoriali acquiri possit, ab *Illust. BÖRMERO Jur. Eccles. lib. 1. tit. 28. §. 29.* ibique allegatis Dd. pluribus evolutam

lutam esse: add. *Lib. 1. tit. 31. §. 55.* ubi investituram seu institutionem Ministrorum Ecclesie, Magistratui Op- pidano competere, & mediante prescriptione acquiri posse, contra asserta *MEY part. 2. Dec. 134.* defendit.

§. XVI.

De Consultationibus nunc dicendum esset, (in quibus, ut & imperiis atque iudiciis, cujusque Reipublice veluti cardines volvuntur), Amplissimus quoque se nobis aperiret dicendi campus, si de jure suffragii, quo Municipia nonnulla gavisa, quae Civitatem Rom. optimo jure ita consecuta, ut & tribui certae adscripta fuerint, prolixius heic differere vellemus. Quandoquidem verò nemo eorum, qui jura Municipalia Urbibus Germ. mediatas aliàs vindicant, quantum observare licuit, convenientiam aliquam exinde formare conatus est; & hanc Municipiorum prerogativam sicco pede itidem praterimus. Licet enim in plerisque Regionibus Germ. Ordines provinciales ex Prælatis, Nobilibus & Urbibus consistant, sicque & Urbes mediatæ, in Comitibus provincialibus, suffragium ferant, ingens tamen à Comitibus Rom. discrimen, tantaque in his rebus distantia, differitasque est, ut vel verbum addere, necessarium haud reputemus.

§. XVII.

Pergimus potius ad aliam (eamque instituto nostro magis convenientem) libertatis illius speciem, quae

D
Muni-

(n) Conf. HERTII *Dissert. de Consultat. LL. & Ind. s. 3. & seqq.*



Municipiis olim data, aut relicta fuit, *autovopias* nimirum, five *jus suarum Legum*: Constat, inquam, & inter omnes pariter in confesso est, ditionum & Urbium illarum, quæ in potestatem Populi Rom. venerunt, inde à primis Urbis initiis, non unam conditionem fuisse. Dum earum nonnullis, tanquam liberis & federatis, suæ Leges, ac proprii Magistratus relicti: (x) aliæ cum libertate suarum Legum, quas antea habuerant, in jus Civitatis Rom. receptæ: reliquis, velut bello victis, & Leges & Magistratus à victore præstituti. Ad secundam verò classem *Municipia* pertinuisse, GELLII, verba, supra recitata, neminem dubitare sinunt, testatur ibidem, *Municipes*, etsi cives Romanos, nullâ tamen Populi Rom. Lege adstrictos fuisse, *ni in quam populus eorum fundus factus esset*: id est, ni quam Romanam Legem adscivissent, aut, cum jure suffragii gauderent, illius autores & subscriptores fuissent, sicque *lex illa in populo aliquo, tanquam in fundo resedisset, ut tunc lege eadem is populus teneretur*. Ita enim GELLII locum intelligendum esse, testimonium CICERONIS in *Orat. pro Balbo* cap. 20. num. 4. planè evincit. Et quæquam SIGONIUS de *ant. Jur. Ital. lib. 2. cap. 7.* existimaverit, *Municipia*, obtento suffragii jure, suarum Legum arbitrium protinus amississe, indeque GELLII verba de iis saltè *Municipiis* intelligenda esse contendat, quæ sine suffragio Civitatem acceperant: singularem tamen hanc sententiam

SPAN

(x) De differentiâ inter liberæ urbes & municipia vid. SPANHEM. d. *Exarc. 1. cap. 17.* de diversis *autovopias* gradibus, idem *Exarc. 2. cap. 9.*

SPANHEMIUS d. *Exerc. 1. cap. 13.* solidè confutavit. (y)
Ejusmodi sanè Legem Municipalem extitisse, & rubrum
Tit. ff. ad Municipal. (z) & l. 3. quod vi aut clam. l. 3. de se-
pOrd. fac. l. 1. de alb. scrib. l. 11. §. 1. ff. de muner. in quibus
ad Legem Municip. provocatur, quin & numi apud No-
RISIUM, VAILLANTIUM, GOLTZIUM, SPANHEMIUM & alios,
in quibus *αυρονοκίας* Municipiorum fit mentio, neminem
dubitare sinunt. (a) Præter istas verò Leges, quas ha-

D 2

bue-

(y) Conf. tamen DN. OTTO de *Edil. Munic. cap. 1. §. 3.* ubi ex
iisdem *Livii* verbis *lib. 9. cap. 43.* quibus *Spanhemius* usus, il-
lud simul liquere existimat, primitus *municipia* illa, quæ cum
jure suffragii optimum jus *Quiritium* erant adepta, Romanis
LL. vivere oportuisse. Ac demum *Lege Julia* lata, cum mu-
nicipiorum jura per *Latium*, & sub finem belli socialis, per
Italiam, exæquata essent, factum fuisse, ut legibus antiquioribus
propriis vivere ipsis permitteretur.

(z) Quod enim vocabulum *Legis* ibi subintelligendum sit, cum
BUDÆO in *not. poster. ad ff. & REVARDO Varior. lib. 3. cap. 15.*
planè persuasi sumus. Utcunque *Cuiacius Observ. lib. 9. cap.*
39. rubrum corrigendum & ad *Municipales* legendum, alii ve-
rò rem *Municipalem* subintelligi contendant. Haud improba-
bilis quoque DN. *HEINECCI* ad *ff. d. l.* conjectura nobis videtur,
extitisse legem quandam municipalem generalem, cujus par-
tes fuerint quindecim priores. *Ituli lib. 50. ff.* cum apud *PAULUM*
(qui & ipse librum singularem ad *Municipalem* scripsit, prout
ex *Indice Florentino Codici præmissi* constat, quem *Cl. WIELINGIUS*
erudito suo *Jurisprudentiæ restituta Operi*, denuò inseruit) eò-
dem ferè ordine, in *Recept. Sentent. lib. 1.* pertractati inveniuntur,
vid. *Cl. SCHULTING. Jurisprud. ante-Justin. pag. 214.*

(a) Et hanc *αυρονοκίας* per *Constitut. Antonini Caracallæ* in *l. 17.*
ff. de Statu Hom. non immutatam esse, *SPANHEM. d. tr. Exere*
2. cap. 9. pluribus ostendit.

buerant Municipia, antiquiores, ordinem Decurionum quoque de rebus ad salutem & utilitatem civitatis pertinentibus Decreta facere potuisse, *tot. tit. de Decret. ab Ord. fac.* edocemur; modò ad minimum duæ tertiæ præsentis *l. 3. d. t.* secundùm majora numero suffragia decretum conceptum *l. 45. C. de Decur.* nec ambitiosum esset, *l. 4. pr. C. S. 1. de Decret.* (vid. HUBER *ad ff. cod.*) nec utilitati publicæ adversaretur, *l. 5. ff. d. t.* De cætero Municipia nonnulla Legibus suis sensim abdicatis, semet Romanis ultrò subjecisse, SPANHEMIUS *d. l. Exerc. 1. cap. XIII.* non diffitetur, & quilibet ultrò nobiscum agnoscat, Romanos artibus illis quibus Quint. VARUS Germanos, cum gladiis domari non potuissent, Jure mulceri posse vanò speraverat, feliciori successu hic usos esse.

§. XVIII.

Hæc omnia verò, quæ de *autonomia* Municipiorum modo diximus, Urbibus Germaniæ mediatis, dudum olim, *Dd.* conclusionibus applicata fuere, sed non sine *inadeveria* illa, de qua, ut supra audivimus, SCHILTE-
RUS tantopere fuit conquestus. Et quidem, *Municipia*, ut vocant, *hodierna*, Statuta, in vim Legis, etiam sine confirmatione Superioris, condere posse, post BARTOLIUM, affirmarunt non solum veteres ad unum omnes, *(b)* sed etiam complures aevi recentioris *JCti*, *(c)* ità tamen, ut

(b) BART. *ad d. l. 9. de J. C. J.* sequaces, imprimis, qui de Statutis Urbium Provincialium scripsere, apud LINCERUM *d. Dissert.* allegati inveniuntur.

(c) His antesignanum merito damus MAYIUM *ad Jus Lubec. quest. pralim.*

ut illi ex l. 9. ff. de J. & J. tum & ex l. 5. de Decret. ab
 ord. fac. l. 37. de reb. auth. jud. possid. l. 21. §. fin. ad Mu-
 nicip, similibusque textibus ad Municipia Rom. eorumque
 Autonomiam pertinentibus, rem definiverint: hi verò
 jus Statuta condendi in Jurisdictione radicatam existiment,
 sicque illis Urbibus provincialibus vindicent, quæ juris-
 dictione, omnimodâ præsertim, gaudent. Eâdem ra-
 tione & jus interpretandi Statuta, Magistratibus Civicis in-
 distinctè asserere, eorumque vim obligandi ad omnes in
 Urbe degentes extendere non dubitârunt.

§. XIX.

Ast enim verò, quàm inerti & frigido schemate,
 quàm frustra hæc talia asserantur, nemo non videt, qui
 ad naturam & indolem *Legis*, tum & ad vim atque am-
 bitum *Superioritatis Territorialis* paulò pensitatus adver-
 tit. Conceptus enim *Legis* notionem Imperantis invol-
 vit, & facultatem præsupponit, actiones civium circum-
 scribendi, iisque certam normam præstituendi, quæ pro-
 prio jure, propriaque potestate nemini in Civitate com-
 petere potest, nisi illi, penes quem τὸ κύριον. Superi-
 oritas verò Territorialis, sicut Summæ Potestati analoga
 est, ità soli Regionis Domino cum Legislatoriâ potestate

D 3

jus

pralim. 2. num. 52. 61. 65. & de Levam. inop. debit. cap. 2. num.
 106. — 110. eandem doctrinam & RHEIUS Diff. de Stat. Germ.
 circa subdit. cap. 4. num. 64. suam fecit, add. ZANN. Polit. Municip.
 lib. 2. cap. 34. ubi etiam contra personatum Relfandso Heremon-
 ranum, Autoris Ichnograph. Municip. sententiam vindicare nitit-
 ur, num. 33. 34. tamen superius tradita, ita temperat, ut in no-
 stram sententiam ferè concedere videatur.

jus quoque vindicat, actiones subditorum liberè & proprio nomine restringendi, (d) eaque ordinandi, sine quibus Civitas totius Regionis confociatio nequit esse salva. Quàm infirma verò sint argumenta, quibus in contrariam sententiam itum fuit, vix est ut moneamus; quis enim ignorat d. l. 9. de populo libero loqui, alienigenam dominum non agnoscente? vid. HUBER. *Digress. lib. 1. cap. 14.* Reliqui verò textus, ut probè observavit HERTIUS d. l. §. 25, ne quidem evincunt, *Municipia Rom.* Legislatoria potestate ità gavisa esse, ut novas leges pro suo arbitrio sibi fingere potuerint: utcunque enim, ceu §. *præc.* diximus, legibus, quas ante habuerunt, quàm sub Rom. Imp. concessissent, porro vivere ipsis permillum fuerit; vicissim tamen constat, instituta Municipiorum, Rescriptis Principalibus semper abrogari potuisse, vid. l. 3. §. 5. ff. *de sepulch. viol.* Romanos etiam peregrinas Leges in sua Rep. tantum admisisse, in quantum domesticis LL. haud adversarentur, ἐν οἷς μὴ τις τῶν ἡμετέρων αὐτῶν νόμων ἐναντίας, ut ait l. 9. ad l. *Rhod. de jactu*: omnemque illam autonomiam, speciem quandam libertatis, ut supra vidimus, saltè ostentasse. Quicquid verò ejus sit, comparationem hanc Municipiorum Rom. cum Urbibus Germ. mediatis planè ineptam esse, nec ullà ratione inde inferri posse, ac si libertas, quam Romani secundum statum suæ Reip. istis reliquere, his quoque debeatur, res ipsa loquitur. Equè infirmum argumentum est, quod à jurisdictione petitur, cum jus dicere, & jus constituere oppidò diversissima sint; & Magistratus, qui ipse imperio subiectus, plus sibi arrogare nequeat, quam quod ab Imperante, ceu fonte omnis jurisdictionis, ipsi concessum.

§. XX.

(d) *De Superiorit. Territ. l. 25. Herb.*

§. XX.

Rectius proin LAUTERBACH in *Coll. Theor. pract. tit. de LL. §. 7.* inter Urbes privilegiatas & non privilegiatas in hac quaestione distinxit, quarum illæ saltèm Statuta (e) condendi potestatem habeant, idque, pro diversitate privilegiorum; vel cum, vel sine confirmatione Superioris: Hoc ipso agnoscens, omnem hujusmodi Statuta condendi potestatem delegatam esse, & à concessione Superioris dependere, indeque vim & robur obligandi iisdem accedere. Quod autem Regionum Domini jam dudum olim Urbibus suis tale quid per modum privilegii vel pacti concesserint, exemplum *Francobergæ, Hassiæ Oppidi, testatur; huic enim, HENRICUM I. Hassiæ LANDGRAVIUM*

(e) Quàm polysemum *Statutorum* nomen sit, vulgò notum est; præterquam enim quod *Judex*, sententiam ferens, in LL. Rom. statuere dicitur, *l. 46. de V. S.* Statutum quoque Constitutionem Principis aliquando notat, vid. *l. un. C. nemini licere signum crucis*. Et hoc posteriori in sensu, Ordinationes, quas Regionum Domini, vigore Legislatoriæ potestatis, in Territoriis suis condunt, in *Rec. Imp. noviss. §. 105.* aliisque LL. Publicis, *Statuta*, h. uel dubiè vocantur. Quod si verò Glossatores aliosque interpretes adeamus, apparebit, ex mente ipsorum, *Statuta* vocari, que non ab Imperante aliquo, jure proprio, sed à Magistratu, fiduciariâ potestate gaudente, promulgata: & quoniam inter potestatem absolutè summam, & officium Magistratus, medium aliquod dari nescient, ipsosque Principes ac Status Imperiî, Magistratum nomine & jure censerent, eorum ordinationes hoc nomine insignivisse; quam quidem imperitiam jure merito redarguit *ZIEGLER de Jur. Maj. l. 1. c. 1. num. 19.*

VIUM, ut leges sibi condere posset, privilegium concessisse, ex *Chron. Francob. ad ann. 1291.* constat. Alias quoque complures Urbes mediatas hodiernum superesse, quæ, inter eximia privilegia alia, isthoc jure statuta sibi condendi gaudent, diplomata apud *LUNIG Reichs Archiv Part. Spec. continuat. 4. part. 2.* & exempla quæ *WERLHOFFIUS in Specim. 2. Jur. quo Germ. utuntur. §. 16. lit. c.* adduxit, nos docent. Sicut verò expresso, ita quoque tacito, vel etiam ex præsumto Superioris consensu fieri posse, ut ejusmodi facultas ad Urbes mediatas transeat, idem *WERLHOFFIUS d. l.* rectè observavit. Utrobique tamen omnis Statutorum vis ab illius consensu & concessione unicè dependet. Et si vel maximè privilegium concessum eo usque se protendat, ut Statutum sine confirmatione Superioris valeat, vid. *MEVIUS ad jus Lubec. quest. præd. 2. num. 46.* eâ tamen omninò opus, si contra jus Provinciæ commune, observantiâ comprobatum, quidquam disponat, apud *BRUNNEM. Consil. 66. num. 2. judicatum.* De cætero Magistratum Civicum decreta ad promovendam justitiæ administrationem pertinentia, nec non ordinationes politiam spectantes, condendi jus habere *LYNCKER, de Statut. Civit. provinc. §. 30.* *MEVIUS ad Jus Lub. d. quest. 2. num. 25. & seq.* rectè affirmarunt, verum tamen & hoc qualecunque regnum sub Regno gravioris esse, & quæ sint partes Regionis Domini, ejusque Magistratum superiorum circa ejusmodi ordinationes Magistratus inferioris, egegè exposuit idem *MEVIUS part. 7. Decis. 308.* Plura addere nunc non vacat.

§. XXI.

Succedunt *Magistratus Municipales*, velut imperium

um animatum. Horum intuitu CICERO *Lib. 3. de Leg. cap. 38.* disertè scripsit, quod Romæ Senatus ageret, velut in mari Ægeò, id in minoribus civitatibus ordinem Decurionum in simpluvio egisse. Et sanè, si quã aliã in parte publicæ rei administrandæ, in hâc ipsâ potissimum, luculentum exemplum deprehendimus, Municipia Rom. nihil prius, nihil antiquius habuisse, quàm ut instituta ipsius Urbis, ast Herculis cothurnos! æmulatione quãdam, sibi aptarent; (f) Ab instituto meo longius adhuc diuiterem, si quidem *μὴ παρατα* illa, omnemque adeò rei Municipalis administrationem, heic exponere vellem; sufficere mihi poterit, eò pertinentia à Jac. GOTHOFREDO in *paratit. & Comment. ad Tit. Cod. Theod. de Decur.* nec non ab iis, qui de *Municipiis* scripsere, sæpius laudato Du. OTTONE in primis, jam tum in claram lucem protracta, sicque probatum esse, Consulur loco, in Municipiis *Duumviros*, Senatus vice, *ordinem Decurionum* fuisse, *Tribunos plebis Defensores Civitatis*, & *Ædiles Urbis*, *Municipiorum Ædiles* repræsentasse: eoque tandem municipalium ambitionem protractam esse, ut & Decretis suis, *Senatusconsultorum Municipialium*, *Duumviris Consulur*, quin & *Praetorum* demum imò *Dictatoris* nomina & titulos, tandem & *fascès*, ac si quãlia summi imperii insignia, non sinè arrogantiae notã, sibi asserere non dubitaverit. Illud planè prætermittere haud possumus,

E

mus,

(f) Haec talia verdè ab ipsa Rep. Rom. quàm maximè promotã fuisse, ex *Novell. 38. in praef.* patet, cujus verba (ex versione *Novell.* accuratissima, Excellent. Dn. HOMBERGK) ita sonant: *Qui nobis Remp. constituerunt, existimãrunt, ad imitationem Urbis imperantis, in unaquãque civitate nobiles viros colligendos, & unicuique Senatũ dandum esse, &c.*

mus, quòd quamvis in Dignitate sic constituti fuerint *Decuriones*, omnem tamen illum honorem tam parum lucrosum, totque oneribus conjunctum fuisse, (g) ut non solum in vicem pœnæ, & *Cassiodoro* teste, Christiani imperiis, eum subire coacti, sed & præmiis ac privilegiis, vulgo notis, plures invitati fuerint, ad vacantia *Curiae* munera subeunda. Ipsam vero Magistratum Municipium Jurisdictionem quod attinet, quàm restricta illa fuerit, verbis *Mevii d. Conf. 98. num. 137.* exprimere lubet: *ea, quae magis Imperii, quàm Jurisdictionis essent, Magistratum, ait, Municipalem facere non potuisse, l. 26. pr. ad Municip. adeò, ut licet omnibus Magistratibus, non tamen Duumviris (ita enim haud dubie legendum) qui fuerant, velut Consulibus Municipiorum, concessum fuerit, Jurisdictionem suam poenali judicio defendere l. un. pr. ff. si quis jus dic. non obtemp. nec jurisdictionem integram, sed ad certam saltèm summam restrictam, ipsis concessam, l. 1. C. de Defens. Civit. Novell. 11. cap. 3. in f. in gravioribus etiam causis, non nisi inter consentientes, eisdem locum fuisse. l. 28. ff. ad Municip. &c.*

§. XXII.

Quodsi è diverso compagem, omnemque Magistratum in Urbibus mediatis constitutionem, eorumque rationes nunc porrò heic expendere, & quae præmeditata habeo, singula hùc conducere vellem, in Tractatum integrum Dissertatio excreceret. Quare, ad finem nunc pro-

(g) Onera hæc in unam summam collegit *GOTHFREDUS* in paratit. ad Cod. Theod. d. t. de Decur.

properanti, sufficere poterit, illud solummodo notasse, & Consulium (quos, *Burgemeister* vulgò dictos, post decessum Franco-Carolingiacæ stirpis, auspicio OTTONIS I. primùm institutos esse, cum LEHMANN. *Chron, Spir. l. 2. cap. 22.* asserit SCHURTZELEISCH *de vet. Burgund. regno. cap. 1. §. 3. in not.*) & Senatorum, aut Scabinorum in Urbibus mediatis planè diversam rationem esse, verè que LAUTERBACHIUM *d. tit. ff. de Decur. §. 4.* pronuntiâsse: licet Magistratus Municipales hodierni cùm Decurionibus vulgò comparentur, maximam tamen inter utrosque differentiam esse, ut argumentum ab his ad illos tunc demum procedat, si non adse dispar ratio, & consuetudo contraria. Viderit proinde TABOR, quò jure, quâve injuriâ, Iustum Gebhardum Consulem in Lusatia (ut ipse memorat in *Tract. de Tort. cap. 5. §. 35.*) peculatus accusatum, hòc solò argumentò liberaverit, quòd juxta *l. ult. ff. & l. 33. C. de Decurionibus*, Decurio diris tormentis subjici non possit: an non eadem *ἀπαρδευσις* id factum sit, quâ actionem *L. Aquilia*, adversus Summum Imperantem instituendæ, autor & suavor fuisse perhibetur? Præsertim cùm privilegia Decurionum pro fundamento habeant, quòd inviti etiã, ad munus Curie subeundum cogi potuerint, & spontè Decuriones facti, à tortura haud æquè immunes fuerint, *l. 4. C. Theod. de tabular. nostri avi* verò Candidati, civici ordinis honores hosce non subterfugiant, sed present. De differentiis intuitu Jurisdictionis, B. EIBZNIUM audire juvabit, ità verò ille in *Dissert. de Decreto aliendandi §. 15.* Pleraque hodierni temporis Municipia, quæ vulgò civitates provinciales audiunt, ac Principem recognoscunt superiorem, immane quantum à veteri illa Municipio

cipiorum forma & jure recesserunt, maximè quoad Jurisdictionis exercitium. Videmus enim quædam Municipia non solum mixtum, sed etiam merum imperium, aliaque eminentiora jura plenissimè exercere: ita ut jam veteri Prætorie parem non solum, sed & longè majorem jurisdictionem habeant: cavendum igitur est, ne Municipia Rom. cum hodiernis nostris confundamus. Totà quoque die fieri animadvertimus, ut Municipales Magistratus hodierni, Decretum in alienandis rebus minorum interponant, id quod veteribus illis nequaquam concessum fuit; quamvis negari non possit, moderna Municipia non æqualis ubivis conditionis esse, &c. Quæ omnia non illud solum, quod supra ex Mævio Consil. 93. num. 191. observavimus, in detrimentum & injuriam Urbium mediatarum in partibus quibusdam vergere, si quidem illæ Municipiis Rom. exæquantur: sed etiam ejusdem M. vii. effatum, part. 4. Dec. 290. num. 6. perniciosos esse Jctos illos, qui de hodierna Jurisdictionis indole, ex Legibus Rom. censent & disputant, exemplo suo confirmant, iisdemque robur addunt. De Judiciis, & quæ utrobique differentie intercedant longè maximæ, vel verbulam addere, intra cancellos hujus Dissertationis nunc quidem haud licet.

§. XXIII.

Dum itaque, præmeditata, ob angustiam pagellarum, hæc explicare nunc non licet, ex iis, quæ supersunt, sparsim nonnulla adhuc delibabimus. Et quidem inter alia iniquata Republicæ, Municipiis indulta, illud quoque fuisse, quod missis suis ad negotia civitatis Principi exponenda, Legatorum nomen imposuerint, ex tit.

f. &

ff. & Cod. de Legation. abundè notum est, Munus illud Decuriones, eò ordine, quò in Curiam recepti, subire tenebantur, poterat tamen *Legatus* filium suum substituere, ipsique sumtuum nomine *legativum* solvendum, omniaque damna restituenda erant, *l. 4. pr. §. 1. 4. 5. l. 2. §. 3. l. 9. ff. d. t.* vicissim *Legatus* variis fruebatur privilegiis, integro biennio ab aliis muneribus immunis erat; habebat jus revocandi domum; si in legatione decessisset, sumtus, à Municipio prænumeratos, heredes non tenebantur restituere &c. *l. 2. l. 7. l. 8. §. 1. l. 10. §. 1. d. t. l. 8. §. 12. de mun. & hon.* Deputatorum verò, quos Urbes ad Regionis Dominum, hodie aliquando mittunt, unà cum nomine, diversam oppidò rationem esse, ipse *ZAHN d. tr. lib. 2. cap. 26.* pluribus persequitur Tantò magis autem mirari subit, quòd *MEVIUS ad Jus Lubec. lib. I. tit. 1. art. 10. num. 37.* asserere non dubitaverit, erroneum esse, si quis existimet, jus mittendi Legatos ad summa Regalia referendum non esse, cum id ipsum inferioribus quoque civitatibus competat, *argum. tit. ff. & C. de Legation.* sub hác saltèm differentia, quod Legati extraneorum, Jure Gentium, à subjectis missi, fide & autoritate Principis securitatem habeant &c. Ast, quis non videt, hæc talia tanto Jcto plane indigna esse.

§. XXIV.

Principem, Regionis Dominum, ab Urbe, sibi subjectis rationes suæ administrationis, singulis annis exposcere non posse, *Anton. HLISTERMANNUS Volum. 1. Consil. Marburg. 7.* defendit; Rationes hujus sententiæ si perpendas, apparebit mox, eandem non aliam scaturiginem habere

habere, quàm quòd Urbes Germ. *Municipia Rom.* esse, horumque speciosam libertatem & illis attribuendam esse, communis persuasio fuerit. Eò enim collimant rationes decidendi, tantùm non omnes, quibus HEISTERMANNUS *d. l. num. 5. & seq.* fuit usus. Ast enimverò prælaudato Jcto hæc talia facilè condonanda sunt, vivebat enim in seculo, quò Historia, lux veritatis, in Germania nondum illuxerat; Prudentia Civilis, quàm in conjungendo Jure Patrio & peregrino summè necessariam esse, SCHILTERUS supra monuit, sepulta jacebat; Regnum Germania lacinia credebatur veteris illius Rom. Imperii; Principes & Status pro nudis Magistratibus habebantur; de Superioritate Territoriali, vix conceptum, à jurisdictione diversum, sibi quis formabat; illiusque vigore, Regionum Dominos fundatam in Territorio potestatem habere, quoad omnes personas & res in eodem existentes, quoad omnes actus in eodem gestos, ferè ignotum erat. Quando autem ex recentioribus ZIEGLER *Eclog. Jurid. 2. num. 2.* HEESER *de Ration. lac. 3. num. 10.* ibique allegati complures alii, eadem chordâ adhuc oberrârunt, rationibus eorum, infirmis sanè, ex assè fecit satis, simulque Statuum Jura hæc in parte strenuè vindicavit, STRYCK. *Dissert. de Jure Principis circa rationes Civit. cap. 2.*

§. XXV.

Quanquam jus cudendi monetam inter Jura Majestatica referendum esse, Romani non ignoraverint, aliquandò tamen numos æneos, (aurei certè disertè excepti) & quidem in Monetis publicis cudendi jus, privatis etiam concessum

cessum fuisse, *Jacob. GOTHOFRED. ad l. 3. 7. & 10. C. Theod. de falsa Moneta* probatum dedit. A Coloniis quoque & Municipiis ex SC. & Impp. Rom. auctoritate numos cufos fuisse, ex *Luca Holstenii Comment. in Stephani Byzantini fragmenta de Urbibus*, nec non imaginibus à *Patino, Harduino, Vaillantio* &c. productis, vulgò notum est. Eadem ratione & in Germania, Urbibus mediatis nonnullis idem jus ab Impp. aut Regionum Dominis olim concessum fuit, quorum exempla, præter illa quæ *SWEDER Jur. publ. part. Spec. Sect. 1. cap. 22. §. 2.* refert, & in *Hassia* quoque extitisse constat. Ubi tamen probè notandum, & ab aliis pridem observatum est, ex eò, quod nomen hujus vel illius Urbis numo impressum, haud protinus colligendum esse, eandem jure monetandi gavisam esse; solebant enim sequioris ævi Impp. (nam ex *Edicto Caroli M. Capitular. lib. 2. tit. 12.* nullibi nisi in Palatio Regis numos cudere fas erat) tum & Regionum Domini, cum diversis in locis officinas Monetarias haberent, Urbium nominibus hæc invicem distinguere. Exemplum Urbis alicujus, quæ ex eo capite, quod in Germania cisrhenana, (de transrhenana enim & magna, ne quidem quæstio esse potest) jus monetandi, quoniam *Municipium Romanum* aliquando fuerit, sibi asserere præsumat, mihi equidem non succurrit. Nec tamen prorsus alienum ab hoc loco erit, si quidem casum sequentem, qui in *HELVEZIA*, Patriâ meâ dulcissimâ contigit, hic referam, & expendam. *Tobinium* vetus, quod inter *Municipia Helvetica* supra ex *GUILLIMANNO* memoravimus, est, Oppidum *Zoffingen* (diocesis *Bernensis*) hodie certè esse creditur. Hujus Oppidi Magistratus municipalis, non ità pridem jus monetandi sibi asserere conatus fuit, cumque in finem anno 1724. *Perillultri*

REL-

REIPUBLICÆ BERNENSIS, præsentia hujus asserti sui fundamenta, scripto typis vulgato, prolixè exposuit, superadditis precibus, ut exercitium illius juris, sibi restaurare & confirmare dignaretur. Argumenta verò, quibus *Zoffingenses* pro coloranda petitione suâ usi, prout ab Amica manû accepimus, eò potissimum reddunt: ajunt, inquam, jure numos cudendi, jam inde ab antiquissimis temporibus se gavisos esse; id ipsum quoque, postquam armis ALBERTI DACIS, anno 1295. sub Regimente Austriacum redacti fuerint, sibi reservatum esse, testibus tot numis *Zoffingæ* castis, & Imp. ac Principum imaginibus signatis, quæ eorum in hodiernum usque diem supersunt. Insigne quoque assertis suis firmamentum inde accedere persuasi sunt, quòd, SIMLERUS de *Rep. Helvet. lib. 1. tit. de Lucerna*: disertè memoret, LUCERNATES inter alia capita conventionis, cum *Duce Austriae* anno 1334. initæ, seorsim promisissè, quod *montem Zoffingensem* in Civitate suâ admittere velint. Et quanquam anno 1425. *Reipublicæ BERNENSIS* semet subjecerint, id ipsum tamen non aliter factum esse, quam privilegiis ad unum omnibus, nominatim quoque jure monetandi, omni ex parte salvis, & in pactis conventis (seu *capitulatione*, ut vocant;) disertè sibi reservatis.

§. XXVI.

Verum enim verò, gravioris momenti quæstio suberat, quàm ut prælaudata *RESPUBLICA*, ad nuda *Zoffingensium* narrata, petitis istis annueret: omni enim omnino *monetæ formandæ, aut figurandæ jure*, (ut verè GOTHOFREDUS ad d. l. 10. C. Theod. de fals. monet.) *Inoperantes à privatorum sorte secerari oportet. Si Regalium,*
quam

quamlibet minimam *scriburam*, vel etiam opinione vulgi vilissimam, in privatum transfundas, majestati collegam associas. Nihil est in Regalibus, quod non suo & summo pondere censi debeat; unum quoque illud è summi Imperii arcanis, Jura majestatis individua & ἀνομήτως putare, ni vim illius resolvere velis, ut Livia apud Tacitum ait: eaque conditio est imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur. Et sanè quæ Zoffingenses allegant, id quod in quæstione est, neutiquam evincunt. Quando enim, ad antiquissima tempora provocantes, fundamentum intentionis in eo querunt, quod *Tobinum* olim Municipium Romanum fuerit, id certè ἀνομήτως planè, & æquè invalidum erit, ac illa, quæ ad Urbes Germaniæ inde vulgò inferri vidimus. De alio quoque privilegio monetam cudendi, itidem non constat: *Simlerus* enim d. l. non de monetâ ab Oppido illo, sed de monetâ Ducum *Zoffingæ* causâ, disertè loquitur; eoque & illud denuò confirmat, nomen Urbis alicujus provincialis, numis impressum, in dubio nihil aliud inferre, quàm quod Imperantes officinam monetariam ibidem haberint. Esto etiam, *Zoffingenses* anno 1425. inter alia postulata & juris monetandi confirmationem petiisse, satis tamen constat, non aliâ jura ipsis confirmata fuisse, quàm quæ vigore privilegii legitimè quæsi ipsi competere. Non ignotum quoque sub interregno illo magno, quod FRIDERICUM II. excepit, à pluribus, mediatis etiam, nullo privilegio aliove titulo munitis, monetam fuisse cusam, & propterea in Recessu Imp. de anno 1287. apud LEHMANN: *Chron. Spir. lib. 5. cap. 108.* constitutum esse, alle die Mûngen/ die sit Kaiser Fridrichs Ziten gemacht sind / die sullnt gar absin / es bezuge dan vor dem Rie

de / *der* *sie* *hat* / *daß* *er* *sie* *zu* *recht* *haben* *soll*. Denique si *Zoffingenses* ejusmodi privilegio revera muniti essent, ubi tamen *RESPUBLICA* Superior animadverteret, illus usum publicis con. modis noxium esse, quin & tunc eodem interdici possit, tantò minus dubitamus, quò certius est, privilegium qualecunque, quamvis optimà ratione initio sit concessum, cum incipit lædere Rempulicam, neutiquam attendendum, nec illius usum permit-tendum esse. *OLD NDORP. Vol. 1. Consil. Marburg. 5. num. 34. STRYCK de Jure Princip. circa rat. Civit. cap. 2. num. 53. BEYER Observat. Hallens. Tom. 3. observ. 15. 16. 17.*

TANTUM!

COROLLARIA.

I. *Insolens illa Constitutio Philippi Imp. quâ in l. 3. C. de Profess. & Med. edixit: Poëtas nullâ immunitatis prærogativâ juven-dos esse, non aliam causam impulsivam habuit, quàm vitium Seculi illius.*

II. *Quòd pacta nuda ad inducendam obligationem efficacem invalida pronunciaverint, sat gravis ratio Romanis constitit.*

III. *Socialitas non est adæquatum Juris Naturæ principium, & quâ tale, à Grotio de J. B. & P. prol. §. 8. haud venditatur.*

IV. *An Magistratus, & multò magis Regionis Dominus, civi-bus invitis, novum civem suscipere possit, frustra disputatur.*

V. *Hypothesin B. Dn. de Cocceji. Jurispr. Publ. cap. 2. §. 23. & 24. meam facere non possum.*

VI. *Regnum Germania, quoad modum habendi, usque ad tem-pora Conradi III. non electivum, nec mixtum, sed merè successivum fuit.*

VII. *Dogma de quarta Monarchia, Romano-Germanica, tam literato seculo indignum esse, haud temere pronunciauit Gech. Joh. Vossius in Tract. de Chronol. pag. m. 36.*

VIII. *Transactio, tabulis testamenti non inspectis, super iis, quæ ibidem relicta, jure Romano valida est.*

Marburg, Diss., 1725-30


ULB Halle

3

004 165 535



Sb.





B.I.G.

Farbkarte #13

243
DISSERTATIO JURIS PUBLICI *Pl. 23 num. 1*

DE
DIFFERENTIIS
MUNICIPIORUM ROM.
ET
URBIUM GERMAN.
MEDIATARUM,

QUAM,
AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DN. FRIDERICI,
HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.
RECTORIS ACADEMIÆ MARBURGENSIS
MAGNIFICENTISSIMI,
SUB PRÆSIDIO

JOH. WILHELMI WALDSCHMIDT,
ACADEMIÆ PROCANCELLARII ET h. t. DECANI,
REGIMINIS PRINCIPALIS CONSILIARII.

AD DIEM DECEMBER. MDCCXXIX.
IN AUDITORIO ICTORUM
PUBLICO EXAMINI SUBMITTET

RESPONSURUS AUTOR,

JOHANN. CONRAD. PEYER,
SCAPHUSA HELVETIUS.

Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr. & Bibliopol.
MARBURGI CATTORUM,

KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄTSMUSEUM
ZVHÄLLE

Inches
Centimetres